CONCIO

IACOBI SPOTTISWODII,

RECTORIS DE WELLES,
juxta Mare, in Comitatu NORFOLCIENSI,
in Australi BRITANNIA:

Quam habuit ad Clerum ANDREANOPOLI, *in Aquilonari* BRITANNIA, *pro gradu* DOCTORATVS,
Die 25. Mensis Julii, Anno Salutis 1616.

EDINBVRGI,
EXCVDEBAT ANDREAS HART,
Anno Domini 1616.

CONCIO

IACOBI SPOTTISVVODII,

RECTORIS DE WELLES,

juxta Marc, in Comitatu Norfolciensi,

in Australi Britannia:

Quam habuit ad Clerum Ambrosiopoli, in Aquilonari Britannia, [illegible] Doctoratvs,

Die 25. Mensis [illegible] Julii 1616.

BRITISH MUSEUM

EDINBVRGI,

EXCVDEBAT ANDREAS HART,

Anno Domini 1616.

ANTISTITI AMPLISSIMO,
ET DOMINO MEO REVERENDISSIMO
IACOBO LAW,
ARCHIEPISCOPO GLASGUENSI.

ONCIONEM meam ad Clerum Amplitudini tuæ mitto (Reverendiſsime Domine) recognoſcendam & caſtigandam, minus malum ratus pungi aculeis temporis, & Criticorum cenſuram adire quam moram tuo deſiderio facere: En igitur Sermonem Septimanæ Laborem, ſi non nervoſum & benè perſcriptum, tam benè ta-

men quam potuit qui ſcripſit: Ætas jam mea inclinat & devergit in ſenium, Ingredior enim annum quinquageſimum: & non ſolum annis, ſed valetudine ſenex ſum: Imo quod Lucretius de ſenibus, Claudicat ingenium, frangor paulatim & ceſſat vigor: Nunquam igitur è tenebris ruris in doctam Academiæ lucem prodiiſſem niſi hortatu eorum quibus imperâdi etiam poteſtas erat. Quod ad hunc Sermonem T. A. judicio meum do: Si edi meretur, publicetur, in lucem prodeat, Si diſplicuerit, ſupprimatur. Gloriam ſcribendo non quæro, nolim tamen ita ſeruare ſilentium, ut ſilentio peream. Zelus Domus DEI me traxit ad hoc argumentum: T. A. qui in Domo DEI virtute, eruditione, prudentia, pietate emines concionem (ſi modo luce digna videbitur) inſcribo. Talem te eſſe (Clariſsime præſul) & me hoc nomine cultorem tuum coram DEO teſtor, quem ſupplex rogo te Eccleſiæ Scoticanæ diu ſervet, perque ſeram ſenectutem tandem ad æternam fœlicitatem perducat.

T. Amplitud. deditiſsimus,

IACOBVS SPOTTISWODIVS.

DEUS GRATIAM faciat, & benedicat nobis, illustret faciem suam erga nos, faciat ut agnoscamus in terra viam suam & ut quisq. nostrum agnoscat salutem suam per IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum.*

OMNIPOTENS & sempiterne DEUS, Pater Luminum, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum dignare quæsumus ad nos flectere vultum tuum, sed illum placidum ac propitium: Noli perpendere quid debeatur meritis nostris, sed facilis suscipe præces nostras per unigenitum & dilectum filium tuum servatorem

torem noſtrum. Indignos noſmet agnoſcimus & confitemur, qui exaudiamur a te aut impetremus aliquid a Majeſtate tua: peccavimus enim contra cœlum & terram toties & tam graviter peccavimus ut meritò
Pſal. 143. poſsis nos ejicere in extimas tenebras. Sed apud te, O Sancte Pater eſt condonatio ut reverenter colaris, tu pollicitus es veniam converſis, ſed hoc ipſum tui muneris eſt ut aliquis ad te toto corde convertatur, O
Ezech. 33. 11. Sancte Pater, qui non delectaris morte improbi, ſed ut revertatur & vivat, dignare nos convertere & tunc convertemur, averte vultum tuum a peccatis noſtris præteritis, & da gratiam ut in poſterum poſsimus obedire mandatis tuis alacri corde: In hunc finem emitte Spiritum tuum qui diſpellat a pectoribus noſtris ſpiritus impios, Cor mundum crea in nobis DEUS & Spiritum rectum innova in viſceribus noſtris. Tu
Pſal. 51. qui es Lux inacceſsibilis, & cœcis ab utero reſtituiſti lucem, dignare quæſumus illuminare mentes noſtras: Tu qui aperis ora mutorum, & das linguas infantibus diſertas, tribue nunc facilitatem linguæ meæ dicendi exterius hoc quod utcunque te donante animus comprehenderit interius: Revela omnium noſtrum oculos, ut videre valeamus mirabilia Legis tuæ, ſitque verbum tuum lucerna pedibus, & lumen ſemitis noſtris:
Iacob. 1. & da gratiam ut ſimus effectores Sermonis, & non auditores tantum decipientes noſmetipſos: neque ſit
1. Corin. 3. verbum tuum odor mortis ad mortem, ſed è contra ſit odor vitæ ad vitam, omnibus nobis & cuique hic præſenti, hoc & omni alio tempore, per I E S U M CHRISTUM DOMINUM noſtrum: in

cujus

cujus nomine oramus pro his & cæteris quibuſcunq. novit divina ſapientia nos indigere: Nec tantum mendicamus neceſſaria, ſed & etiam agimus immortales gratias pro innumeris beneficiis in nos jam collatis: Agimus tibi toto corde gratias quod nos huc vſque ab infinitis malis protexeris, quod bona valitudine, pace & copia omnium rerum, quæ ad naturalem hanc vitam tuendam ſpectant benedixeris: ſed ante omnia laudamus Sacroſanctum nomen tuum quod nos miſeros & perditos ſanguine prætioſiſsimo uniginiti Filii tui redemeris, quod in Eccleſiæ tuæ gremio nos educaveris & luce verbi tui beaveris: O Sancte Pater, qui te hactenus præbuiſti tam liberalem & beneficum erga tam indignos & ingratos: perfice & corona opus tuum, largire nobis Spiritum Sanctum tuum, cujus inſtinctu judicia noſtra illuſtrentur: corda reformentur, toti denique nos in poſterum ad pietatem, æquitatem & ſobrietatem componamur ad nominis tui gloriam proximorum ædificationem & animarum noſtrarum ſalutem per eundem dilectum Filium tuum IESUM CHRISTUM DOMINUM noſtrum per quem offerimus omnes noſtras præces pro nobis metipſis & (ſicut decet viuida membra corporis myſtici Domini noſtri) Supplices etiam precamur pro tota Eccleſia militante in terris, O Domine noſter IESU CHRISTE, qui aſcendens in Cœlum dediſti bona hominibus & largitus es varia tui Spiritus munera: rurſum ex alto renova munificentiam tuam, Da Eccleſiæ tuæ labaſcenti, quod dediſti naſcenti: adde plures indies regno gratiæ ut poſſit citius advenire re-

gnum gloriæ: Benedic imprimis quæſumus Vineæ tuæ, quam potenti tua dextra plantaſti in MAGNA BRITANNIA & HYBERNIA, & hic ante alios recordamur Servi tui, REGIS noſtri IACOBI, MAGNAE BRITANNIAE, FRANCIAE ET HYBERNIAE REGIS: O Sancte Pater, qui pro tua miſericordia exaltaſti eum in tam excelſum gradum, ut ſit ſupremus Iudex in omnibus cauſis, tàm Eccleſiaſticis quàm Temporalibus, ſitque ſimul Defenſor antiquæ Catholicæ & Apoſtolicæ Fidei: Da gratiam reſpondeat indies magis & magis tam ſublimi vocationi: ſit illi incolumitas & ſalus in ævum & diu Eccleſiæ tuæ grata halcyonia, juſtitiæ deſiderata ſacraria, Muſis amœna Tempe ſub tranquilla pace & concordia præſtet. Benedicito quæſumus illi in Sereniſſima ſua REGINA ANNA, & in tota Regali proſapia. Præcipuè oramus pro Illuſtriſsimo Principe CAROLO, O miſericors Pater, qui pro tua ineffabili bonitate ſervas ac tueris omnia, protege eum ab omni malo, fac viuat diu, & proſperè viuat, & abſit peccata noſtra abripiant eum à nobis. Benedicito quæſumus omnibus inferioribus ordinibus imperii, Imbue Nobiles & Regios Conſiliarios vera ſapientia. Da Paſtoribus Charitatem, & Prophetiæ donum. Nominatim oramus pro Reverendiſsimis Archiepiſcopis & Epiſcopis, quibus tàm Eccleſiæ quàm Reipubl. cura eſt commiſſa. Supplices etiam precamur pro omnibus Academiis, Gymnaſiis, & Scholis quibuſ-

quibuſcunque, & nominatim pro inclyta hac ACADEMIA ANDREANA, Benedicito quæſumus huic & omnibus membris ejuſdem: Oramus pro Reverendiſsimo Domino Cancellario, Vicecancellario, Domino Rectore, Decanis Facultatum, Primariis, Profeſſoribus, & Studioſis omnibus in hac ACADEMIA: irriga hanc & omnes alias rore gratiæ tuæ, & fac quotannis producant tales qui poſsint impoſterum commodè inſervire cum Eccleſiæ tum Reipublicæ. Da omnibus ſervis tuis ut à ſupremo ad infimum poſsimus gratia tua dehinc ambulare in viis tuis ſecundum ſanctam vocationem ad quam vocati ſumus per ſacrum Euangelium. Denique alloquamur Dominum ſemel pro his qui ſunt in quavis inædia vel laborant quovis morbo corporis aut animi: ſuccurre cuique, O Pater omnis conſolationis, prout quiſque opus habet adjutorio tuo. Numerare dies noſtros, doce noſmetipſos ut inducamus animum ſapientem, & fac ſic tranſigamus hoc momentũ unde pendet æternitas in timore nominis tui, ut poſt tranſactam hanc ærumnoſam vitam pervenire tãdem poſſimus ad montem gloriæ & conſpectum tuum, ubi ſatietas gaudiorum amæniſsimorum, imò tu ipſe es gaudium perfectum, fœlicitas vera & gloria ſempiterna: qui vivis & regnas in Trinitate unus Deus Æternus, Immortalis, Solus Sapiens, & Summe Bonus: Sit Tibi Honor, Gloria, Robur, Regnum, Magnificentia, & Authoritas, nunc, & in omnia ſecula: AMEN.

MAGNVM *est ait Orator silentibus omnibus vnum in hominum conuentu verba facere: Maximum ergò in frequenti concessu virorum Doctorum, & omni scientiarum genere præcellentium de rebus maximis hoc est Diuinis disserere: Hic nõ quicquid in buccam negligenter aut temerè effundendum: sed sedulò præmeditandum imò scribendum (quod nostri moris est quicquid) dicturi. Legimus Romanos Senatores sententias domi meditatas & scriptas in curiam attulisse, Imò ipsum Tullium quasdam orationes in Senatu dixisse de Scripto. Nos ergò inferiores facultate dicendi & dicturos in lingua peregrina non pudebit (si necessum fuerit) eodem uti adjumento. Nemo tamen etiamsi in scriptis habeamus quæ dicturi: exspectet orationem comptam aut floridam ad hoc tempus non suppetebat; nec si inseruiisset, arridet nobis in rebus tam seriis (vt sunt Diuinæ) histrionica illa eloquentia. Matronalis grauitas mihi semper præferẽda leuitati meretriciæ: sint juuenibus curæ, lepõres & festiuitates verborum aucuparj. Nos senes utilia magis & fructuosa delectant, profutura magis quam oblectatura cõsectamur.*

Ausculta ergò verbum sic scribitur in Libro PSALMORVM.

PSAL.

PSAL. LXXXIV. XI. XII.

XI. Nam melior est dies in atriis tuis, quam mille eligo frequentare limen in domo Dei mei, magis quam habitare in tentoriis improbitatis.

XII. Quia Sol & scutum est IEHOVA DEVS: Gratiam & Gloriam dat IEHOVA, non cohibet bonum ab ambulantibus in integritate.

HOS Versus Psalmi LXXXIV. (Reverendissime præsul, & Viri Ornatissimi, & Auditores omnes in Christo charissimi) ob id se legimus enarrandos quod in iis Spiritus Sanctus multis verbis commendet fœlicitatem eorum quibus assiduè vivere & versari in domo DEI conceditur: qui sermo cum omni

tempore ſalutaris ſit, tum verò hoc ſæculo dedito domibus *DEI* temerandis,& prædio ſancto violando: feraciſſimo item ſectarum, hominum qui gloriantur in ſeparatione ſua à domo *DEI*, videtur ergò hic ſermo hoc ſæculo maximè neceſſarius.

DIVVS BERNARDVS Orditur Sermonem ſecundum ſuum in Cantica his verbis, Ardorem deſiderii patrum frequentiſſimè cogitans: compugor inquit & confundor, & vix contineo lachrymas: ita pudet teporis, torporiſque miſerabilium horum temporum, &c. At quanto graviores cauſæ lachrymarum nobis, in quos ætas vltima venit vt Seneca. O nos dura ſorte creatos, Ætas parentum pejor auis, tulit nos nequiores (inquit Poeta) mox daturos progeniem vitioſiorem. Zelus domus *DEI* olim conſumpſit Sanctos *DEI*, (*Pſal. 69.*) At zelus noſtri temporis conſumpſit Domum *DOMINI*: laudat impius animam ſuam in deſiderio ipſius, & quæſtum facienti benedicit, PSAL. 10. VERS. 3. Nullum eſſe *DEVM* hæ cogitationes ejus: ſic factus eſt vt equus & mulus expers intelligentiæ, PSAL. 32. VERS. 9. Tales ſunt omnes prophani, & irreligioſi. CHRISTIANVS quidam PHILOSOPHVS non dubitat aſſerere: ſingulas generis humani dotes in ipſis beſtiis apparere ſola relligione excepta. Hujus nulla bruta inquit præ ſe ferunt indicium, ut propria nobis ſit mentis in *DEVM* Cœli Regem erectio, ſicut corporis in Cœlum erectio propria: cultuſque Divinus, ita fermè hominibus naturalis, quemadmodum

dum equis hinnitus, canibus latratus, &c. Quo ergò tendit veſanus hic mundus? Cum quibus nulla religio ſint inſtar brutorum imò deteriores brutis.

SOLOMON, (ECCLES. I.) quum pronunciaſſet omnia vana, & non vana ſolum, ſed vanitatem in abſtracto, & longa orationis ſerie, & inductione propoſitionem hanc confirmaſſet tandem, CAP. XII. VERS. XV. ſic concludit, Summa rei eſt his omnibus auditis: *DEVM* ipſum reverere, & præcepta ejus obſerva, quia hoc eſt totũ hominis: quaſi dixiſſet, Eſt totum in quo ſe homo occupare debet, & ſine quo totus homo nihil eſt niſi vanitas. Adhoc *DEVS ECCLESIAM* ſuam verbo ſuo ornavit, & inſtituit vt in Templis conſecratis ad hunc uſum populus Congregatus invocaret Nomen ſuum, videte EXOD. CAP. XXV. VERS. XXVIII. facient mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum inquit *IEHOVA*. Hic *DEVS* ſolet manifeſtare potentiam ſuam: hic vult ſe invocari, & nos exauditum iri promittit. Hinc Templa *D*omus *DEI*, & *D*omus Orationis appellantur. Hinc viri ſancti olim, vt & nunc miſeros ſeſe profitebantur dum exulabant à *D*omo *DEI*: Et è contra præ lætitia exultabant, dum licebat eandem frequentare.

REGIVS PROPHETA DAVID, PSAL. CXXII. de ſe profitetur, Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi in *D*omum *DEI* ibimus. Alibi etiam, PSAL. XXVII. VERS. IV. Unum petii à *IEHOVA*, ut conſideam in *D*omo *IEHOVÆ* omnibus diebus

vitæ meæ ad videndum amænitatem Iehovæ, &c. & initio hujus Pſalmi quam amabilia Tabernacula tua Iehova exercituum?

Pſalmus hic dicitur ſcriptus à Davide quando vel à Saule, vel à filio Abſchalamo pulſus erat in exilium & dejectus ex faſtigio honorum, dignitatis, potentiæ: ſed non tàm amiſsione bonorum, dignitatis, potentiæ, cruciebatur David, (ſicut videre eſt ex hoc Pſalmo,) quàm quod abeſſet à ſacris publicis, & quod exularet à populo *DEI*: Omnia levia exiſtimabat præ hoc incommodo, quod cogeretur peregrinari in Meſech, *Pſal.* cxx, *verſ.* 5. Et habitare cum Kedarenis: abeſſe à Sanctuario & errare in iis locis, ubi nullum miniſterium publicum, & nulli cultus Divini perageren-tur: hac igitur re ſe magis affici oſtendit, quam amiſſione locorum, dignitatis, ſtudii, aut benevolentiæ amicorum, aut cogitatione periculorum quæ ſubinde ſibi imminere videbat: hanc ergò calamitatem ſuam deplorat verſu 3. Et petit ſe reſtitui aut reduci verſibus 9. & 10. tum demum verſibus 11. & 12. De quibus nos dicturi vt miſeria ejus à Domo *DEI* exulantis fiat conſpectior: fœlicitatem eorum commendat, quibus viuere in Domo *DEI* conceditur et hanc prædicat duobus argumentis, Primo ſumpto à jucundo: Secundo ab utili. Argumentum à jucundo illuſtratur verſ. 11. collatione Temporum, Locorum, Perſonarum. In primis verbis, *Nam melior eſt dies, &c.* In his eſt collatio temporum. In ſecundo membro et his verbis, *Eligo frequentare, &c.* eſt collatio locorum et perſonarum. Deinde verſ. 12. reddit rationem hujus col-

jus collationis, et amplificat beatitudininem eorum qui sunt in Ecclesia, tàm ab vtili quàm à jucundo: *DEVS* enim est Sol et clypeus illis, hoc est illuminans et protegens Ecclesiam suam, dans etiam omnibus Ecclesiæ membris Gratiam et Gloriam, imò cumulans omnia bona terrena et cœlestia, super ambulantes in integritate hoc est super eos qui amplectuntur verbum *DEI* sine hypocrisi et dolo, κρατοῦντες τὴν καλὴν στρατίαν, *1. Epist. ad Timoth. Cap. 1. Vers. 18.* ἔχοντες πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν retinentes fidem et bonam conscientiam.

In hoc itaque Sermone duo præ cæteris illustranda: Imprimis argumentum à jucundo illustratum collatione temporum, locorum, personarum: Secundo argumentum sumptum ab vtili quæ nos non tantum secundum literalem sensum, sed retrusiorem etiam intellectum quandoque sequamur: sic tamen vt omnia strictè perstringenda non fusius explicanda à nobis esse videantur, et ante omnia de his verbis sicut ordine præcedunt, *Melior est dies in atriis tuis, quam mille, &c.* In Hebræo contextu non legitur dies (vnus) sicut quidam reddiderunt, sed tantum dies, nusquam enim est dies nisi in Ecclesia, in nocte sunt qui extra hanc et solem justitiæ non agnoscunt.

Est familiare et vsitatum S. S. in sacra Scriptura per *D*iem significare statum gratiæ in præsenti, et statum etiam Gloriæ in futuro, et de talibus Gratiæ *D*iem diligentibus, et ad diem gloriæ festinantibus potest intelligi illud 1. *Epist. ad Thessal. Cap. 5. Vers. 5.* Πάντες ὑμεῖς υἱοὶ φωτός ἐστε, καὶ υἱοὶ ἡμέρας· οὐκ ἐσμὲν νυκτὸς οὐδὲ σκότους.

Et rectè comparatur ſtatus piorum cum die. Sicut enim *D*ies habet in ſe ſplendorem, fervorem, decorem: Sic verè ſtatus Gratiæ & Gloriæ habet ſplendorem cognitionis, fervorem dilectionis, decorem perfectionis. De ſplendore & luce legimus IOANN. CAP. XI. Verſ. 9. ἐαν τις περιπατῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ οὐ προσκόπτει, inquit *DOMINVS*, ὅτι τὸ φῶς τοῦ κόσμου τούτου βλέπει, vbi obſervate tria, ambulat, non offendit, videt: Sic *D*ies gratiæ habet cognitionis ſplendorem: habet etiam dilectionis fervorem, ſicut enim videmus *D*iem propter præſentiam ſolis, callidiorem nocte: ſic ſtatus Gratiæ & Gloriæ, propter ſolis juſtitiæ præſentiam abundat charitate & fervore. Tertio dixi quod iſte dies habet perfectionis decorem: Homini ſcimus nihil eſſe pulchrius aut delectabilius quam ſit dies, & ideò propter ſpeciem & decorem diei aves die adveniente ſolent in aperto modulari infirmi ab infirmitate recreari, homines etiam deviati ſolent magna lætitia jucundari: ſic illi qui ſunt in ſtatu gratiæ, *DEO* per gratiarum actiones modulantur, à peccati infirmitatibus liberantur, & ab errore devio reducuntur.

Divus Bernardus Sermone 33. ſuper Cantica ſubjiciens rationem quare dies unus in atriis *DOMINI* melior quam mille, ſubdit hanc rationem, quia Dies hic neſcit occaſum matutinum habuit forſitan (inquit) cum viſitavit nos Sol juſtitiæ oriens ex alto primo, L. V c. 78. Imò erat aurora & ipſa ſubobſcura ſatis tota illa Chriſti converſatio ſuper terram, & nunquam elevatus eſt hic Sol, quoad novum de reſurrectione retulit decorem; tunc elevatus eſt & ſenſim demum

mum diffundens radios ſuos ſuper terram, cœpit ubique paulatim clarior apparere fervidiorque ſentiri: Verum quantumlibet incaleſcat & invaleſcat, multiplicet & dilatet radios ſuos ſuper omne noſtri hujus mortalitatis curriculum (erit enim nobiſcum ad conſummationem ſæculi) non tamen ad meridiem perveniet lumen, nec in illa ſua plenitudine videbitur, modo in qua videndus eſt, poſtea à Sanctis in vita futura. O tunc erit verè meridies, plenitudo fervoris & lucis, Solis ſtatio, umbrarum exterminatio, perenne ſolſtitium, quando jam non inclinabitur dies, lumen meridianum neſciet occaſum. O tunc erit vernalis temperies, æſtiva venuſtas, autumnalis vbertas, Melior eſt hic dies ſuper mille. Hactenus Bernardus ſuo more, ſuaviter & nihil certius in cœleſti illo templo non eſſe, nec fore niſi vnum diem; ἡ πολις τετραγωνος (De qua Divus Ioannes, *Apocal. cap. 21. verſ. 16*) Civitas hæc non habebit opus luce Solis, quoniam Dominus Omnipotens lumen ejus erit, *Apocal. cap. 22. verſ. 5.* Æternitas neſcit ortum & occaſum, quia vt Divus Iacobus *Cap. 1. verſ. 17.* Non eſt tranſmutatio aut viciſſitudinis obvmbratio, nec vlla ignorantia aut erroris nebula lucem æternam obfuſcans. Verum eſt quamdiu militamus in hoc Tabernaculo per fidem ſolum hanc lucem intuemur. Interim tamen ambulare in luce fidei, & ſimplici animo ſequi eum qui dixit Ioan. VIII. 12. Ἐγω εἰμι το φως τε κοσμε, ὁ ακολουθων ἐμοι ε μη περιπατησει ἐν τη σκοτια αλλ' ἐξει το φως της ζωης μακαριοι εσι μαλλον. O beatius eſt ſequi eum & cum eo deambulare quam frui omnibus opibus, regnis, gloriis, & oblectamentis hujus mundi,

Melior est dies vnus apud eum, quam mille alibi.

(*Mille*) numerus Millenarius cum sit perfectissimus ex denario centies ducto, indè solet denotari, boni vel mali maxima quantitas vel copiosa multitudo, vel temporis numerosa magnitudo.

Legimus Gen. Cap. 24. vers. 60. Parentes Rebeccæ benedixisse ei dicentes: crescas in mille millia. Daniel etiam Cap. 7. vers. 10. Dicit se vidisse antiquum dierum sedentem cui millies mille ministrabant: Ipse IEHOVA in Decalogo pollicetur mandato secundo se facturum misericordiam in mille diligentibus se.

Legimus etiam 1. *Sam. 18. vers. 6.* Choreæ fæminarum quæ ex civitatibus Israelis iierunt obviam Sauli ludentes tympanis & panduris cecinerunt dicentes: percussit Saul millia sua, & David Miriadas suas. In omnibus hisce locis (mille) insinuat infinitam multitudinem, & sic cum David dicit, Melior est dies quam mille profitetur pluris sibi esse diem vnum quem impendere licebit in cultum Dei, quam multos & infinitos dies transactos inter homines prophanos: Prophani improbi mille dies citò perdunt somno, temulentia, nugis & aleæ: maxima pars vitæ elabitur illis malè agentibus (vt Seneca) tota aliud agentibus, degunt in luxu, otio, & voluptate, vivunt instar porcorum & post mortem gementes conqueruntur sicut legimus *Sap. cap. 5. vers. 8.* Quid superbia? Quid divitiæ? Quid gloriatio nobis contulerunt? Præterierunt illa omnia tanquam vmbra, tanquam navis permeans aquam, aut avis volans per aërem: at qui piè

sapiunt

ſapiunt ſcientes nihil prætioſius tempore, nolunt ſibi perire diem nec ſinunt tranſire diem ſalutis, ſed captantes occaſionem, cum timore & tremore ad *Philipp. cap. 2. verſ. 12.* Suam ipſorum ſalutem operantur: electionem & vocationẽ ſuam firmam efficiunt, *2. Pet. cap. 1. verſ. 10.* Pacem erga *D*eum per Chriſtum obtinentes gloriantur ſub ſpe gloriæ *D*ei ad *Rom. cap. 5. verſ. 1. & 2.* Imò in fide ejus exultant, lætitia laudabili, quæ verbis non exprimitur, *1. Pet. cap. 1. verſ. 8.* Hæc ſtulta dictu videntur: quibus S. S. nondum aperuit oculos, ὁ λογος τοῦ σταυρου τοῖς μὲν ἀπολλυμένοις μωρία ἐστί. Verbum ipſum crucis pereuntibus ſtultitia eſt. *1. Cor. cap. 1. verſ. 18.* Verum ſi perconteris eos quorum cordibus illuxit Chriſtus, num velint pietatis jactura totum mundum lucrifacere deteſtabuntur ſermonem tuum: norunt enim quantum bonum ſit quod jam velut arram tenent, & quanto melius & ineſtimabile ſit illud, ad quod mox ſint transferendi: quod videre licet in regio noſtro Propheta, dum ait, Eligo frequentare limen domus *D*ei mei, &c. In his verbis reſtat vt conſideremus comparationem locorum & perſonarum, vbi imprimis obſervandum quod pſaltes toto hoc Pſalmo Deum ipſum alloquens his verbis per Apoſtrophen convertit ſe à Deo ad homines, tam cupidus erat David mundo innoteſcere excellentem decorem domus Dei quem ipſe viderat, longè ſupereminere principum Tabernaculis.

Obſervandum item quod cum regius Propheta loquitur de domo Dei vtitur nomine quod ſignificat durabile ædificium, loquens verò de impiorum ædificiis vti-

ciis vtitur vocabulo, quod ſignificat tentoria quæ tantum ad breve tempus exſtruuntur: Innuens ſtabilitatem piorum, & è contra inſtabilitatem impiorum: Obſervandum item quod Propheta non dicit, Melior eſt dies in Domo tua *D O M I N E*, aut in Sanctuario tuo, ſed Melior eſt dies in atriis tuis, & in limine Domus *D E I* mei. Atria erant Templi, quaſi veſtibulum in quod admittebantur, & prophani vnde Apoſt. ad Hebr. cap. 9. verſ. 1. vocat Atria ἁγιον κοσμικον, Sanctum Sæculare, aut Sanctuarium mundanum.

Legimus primo *Reg. cap. 6. verſ. 36. Solomonem* ædificaſſe atrium Sacerdotum interius & propinquius Templo tribus ordinibus lapidum cæſorum & ordine ſectarum cedrorum: & atrium maximum in ambitu Templi, & ambitu atrii ſacerdotum: ſed hæc poſt tempora *Davidis*: erant duo atria tamen etiam & tempore *Davidis*, & tempore Tabernaculi.

Hugo Cardinalis in hunc eundem Pſalmum, & verſum 3. Ubi pſaltes dicit ſe deſiderio affici & deficere animam ſuam deſiderio veniendi ad atria *I E H O V Æ*. Per (atria) dicit poſſe intelligi Eccleſiam materialem & externum cultum *D E I*, qui eſt quaſi introitus ad Templum cœleſte. Et rectè ſanè hæc interpretatio conſentit cum hiſtoria *Davidis*, legimus enim ſimul ac *D E V S Hieroſolymas* in ſuam habitationem elegiſſet, *David* deſiderio deſideravit Templum inibi *D E O* exſtruere & hunc honorem ſibi negari non minus acerbe luxit, quam qui inter majores noſtros irarum furiis excitati excanduerunt non potuiſſe eos Templa deſtruere, quæ nunquam exſtruxere. Scribitur in

tur in Lege *Moſis*, *Levit. cat. 26. verſ. 2.* Sabbatha mea obſervatote & ſanctuarium meum reveremini, Ego ſum *IEHOVAH*. Hæc *D*eus conjunxit & quæ à *D*eo conjuncta nõ ſunt ab hominibus ſeparãda; prodierunt nihilominùs noſtris temporibus quidam ſimiles *Petro Bruſianis*, *Euſthatianis* aut *Meſſalianis*, de quibus *Damaſcenus*, *Hæreſ. 80.* ait eos aliis hæreſibus addidiſſe Templorum contemptum. Hi eadem eloquentia qua olim *Ieroboamus* conobantur perſuadere Templa nullius eſſe vtilitatis: *Ioſephus*, *lib. Antiq. 8. cap. 3.* ſcribit *Ieroboamum* hac oratione perſuaſiſſe popularibus ſuis, ne diutius aſcenderent in *Hieroſolymas*: Viri populares notum vobis exiſtimo quod nullus locus eſt *DEO* vacuus, & quod is nullo certo loco includitur, ſed vbique vota exaudit, vbique cultores ſuos reſpicit. Sic *Ieroboamus*, ſic hęretici illi de quibus ſupra, & ſic profani noſtri temporis. Sed quam diverſo animo omnes ſancti fuerint omni tempore ſatis patet cum ex ſacra, tum ex Eccleſiaſtica hiſtoria. Legimus in Euãgelio *Iudæos* nullis tantum honorem exhibuiſſe quam iis quos indigitabant, hi ſunt qui nobis Synagogas exſtruxerunt. Ipſe *Divus Paulus*, *1. Cor. 11. 22.* Deſpicatiſne Templa? Et ſic Patres in primitiva Eccl. rationati ſunt, Si *Iudæi*, qui vmbris Legis deſerviebant hæc faciebant multò magis nos quibus veritas patefacta eſt, & gratia per Ieſum Chriſtum data eſt, Templa DOMINO ædificare & prout melius poſſumus ornare debemus. Hæc docuere Patres, hæc eadem perfecere Chriſtiani illius tẽporis. Legimus enim in Eccleſiaſtica Hiſtoria, quam primũ Deus Imperatores & Reges excitavit, qui

faverent Christianæ religioni & publica authoritate semel concessum ædificare κυριακα; Orbis Christianus gestiebat occasione oblata, nullis parcebatur sumptibus, passim inter Christianos cernere erat gratam illam largitionē quam perpetuam populo Israelitico exoptavit David, *1. Chron. cap. 29. vers. 17.* Nec censendum hos & majores nostros nudos parietes exstruxisse: satis constat eos ornamentis variis & terris dotasse domos Dei, sejunxisse etiam decimas tributum & annuum reditum, Dei quas Deus natura, & jus gentium jam olim docuerunt seponendas, ad rem divinam & divinum cultum sustentandum. O quam præclarè & piè hæc omnia Instituta, quæ miserum vesanum & impium hoc sæculum subvertit pessum omnia dando. Vox Idumæorum jam diu in pluribus orbis Christiani partibus exaudita est, diripite ex imis evertite fundamentis: Nec vox solum, sed vitium (proh dolor) in natali nostro solo furit: multi olim sic conquæsti sunt, Ecclesias Christi quas construxere parentes,

Sternere nituntur nati pietate carentes.

Nostri autem hoc perfecere: sicut OVIDIVS:

Canescunt turpi templa relicta situ.

Primi nostri deformatores, reformatores dixissem diripuerunt templa, nudarunt parietes, sed posteri ne sient degeneres, non solum altaria, sed & sacrificia auferre studeant, & tantum profecere vt jam servis Dei vix restet, vt *Iuvenal. 14. Satyr.* In quantum sitis atque fames

fames frigora poſſunt: & ſic ni Deus prohibuerit & domui Dei jam certa ruina immineat, quæ omnia evenere non tam inimicorum copiis quam conſilii inopia in ipſis Eccleſiaſticis qui domum Dei tueri debuerant.

Sed quis fructus quæſo hujus horrendi ſacrilegii? *Carolus Magnus* in legibus à ſe latis ſic loquitur, *lib. 7. cap. 104.* Novimus, inquit, multa regna, & reges eorum propterea cecidiſſe quia Eccleſias ſpoliaverunt reſque earum, vel alienarunt diripuerunt, aut vaſtaverunt. Ipſi Ethnici hoc obſervarunt, *Virgil. 2. Æneid.* notat Græcos violaſſe templum Palladis,

Corripuere ſacram effigiem manibuſque cruentis
Virgineas auſi divæ contingere vittas.

Et continuò infert,

Ex illo fluere & retrò ſublapſa referri
Spes Danaum.

Iuſtinianus Imperator, 1. digeſt. fatetur ſacrilegium gravius crimen ipſa læſa majeſtate. Et *Divus Paulus, 2. Rom.* innuit Sacril. pejus idololatria. Et *Auguſt.* contra *Creſcentium*, reddit rationem cum ait Sacrilegium tanto gravius eſt peccatum quanto committi non poteſt niſi in Deum Sacrilegi bellum ipſo Domino indicunt, quem nemo impunè laceſſit.

Nota eſt illa fabula de aquila quæ fruſtum carnis ab altari ſurripuit & ſimul cum carne carbonem igneum qui adhærebat, & ſic, & nidum, & pullos etiam conſumpſit. Chronica perluſtrate, hiſtorias ſcrutamini

invenietis ſacrilegos nunquam impunè evaſiſſe, hoc videre fuit in *Nabuchodnezare*, in *Balthaſare*, in *Antiocho*, hoc idem animadverſum de fortunatiſſimo *Pompeio*, de quo tum *Tullius*, tum *Livius*, hoc obſervant poſt direptum ab illo Tẽplum *Hieroſolimitanum* nihil illi proſperè ſucceſſiſſe, & faxit idem eveniat noſtris ſacrilegis, percutiat Deus inimicos ſuos in poſterioribus (ut *Bernardus*) O IEHOVAH, impleatur os noſtrum riſu, & lingua cantu, *Pſalm.* 126. redige ipſos ingenuos iſtorum, vt *Horebum*, & *Zeebum*, vt *Zabachum*, & *Zalmanachum*, omnes toparchas iſtorum qui dicunt hæreditario, jure poſſideamus nobis habitacula Dei, *Pſal.* 83. *verſ.* 12.

Sed ne diutius hic ſiſtamus, *Eligo*, inquit *David*, *frequentare limen, in Domo DEI mei.* Limen Domus *DEI* erat interius aut exterius: Exterius erat locus mendicorum: Interius erat Ianitorum, poſteritatis *Korah*, qui fuit pronepos *Levi*, *Exod. cap.* 6. 1. *Par. cap.* 6. quorum officium erat, vt ex his aliquis aſſiduè ſederet ad limen, aut fores Domus *DEI*, & ibi excubias ageret: horum conditionem etſi abjecta & vilis videbatur Regius Propheta ita commendat, & extollit, vt omnium qui extra Domum *DEI* ſunt, ſplendori, dignitati, luxui, & voluptatibus anteferre non dubitet: Ratio hæc eſt, quod extra Domum *DEI*: exta Eccleſiam, extra Corpus *CHRISTI*, nulla cuiquam eſt ſpes ſalutis, niſi habuerimus Eccleſiam matrem, inquit *Auguſt.* non poſſumus habere Deum Patrem. Sicut anima non vivificat membrum corporis amputatum. Sic neque Spiritus *DEI*, qui eſt anima

anima corporis myſtici *DOMINI* noſtri non confert gratiam iis qui ſe ſeparant ab hoc corpore. In corpore hominis naturali membrum aliud eſt alio præſtantius, functiones quidem diverſæ ſunt, ſed eodem ſpiritu vegetantur omnia: Sic in corpore *CHRISTI* myſtico quod eſt Eccleſia diverſi ſunt ordines hominum diverſa munia donaque Spiritus, omnes tamen ſunt membra *CHRISTI* & eandem exſpectant hæreditatem quod hic infimum eſt ſublimius eſt tamen omni faſtigio mundi. Sicut in cœleſti *Hieroſolyma* multæ ſunt manſiones quorum infima tamen eſt potior omnium regum pallatiis: Sic in Eccleſia velut in magna domo diverſa generis vaſa ſunt, quorum aliud eſt alio honoratius & tamen quod eſt in his viliſſimum, pretioſius eſt vniverſo mundo! Tanta eſt Eccleſiæ majeſtas & fœlicitas, vt quod in ea contemptiſſimum eſt, longè præſtet omnibus mundi ſplendoribus. Propheta igitur tanto ardore deſiderat verſari in limine Domus DEI, & vel inter abjectiſſima membra CHRISTI cenſeri. Vbi videre licet, Cum pietatem tum humilitatem tanti Monarchæ, Pietatem dum profitetur vnum diem impenſum in divinum cultum meliorem, & plus jucunditatis ſibi adferre, quam mille tranſactos extra ECCLESIAM inter homines prophanos: Humilitatem dum affirmat ſe malle in foribus TEMPLI ſubſiſtere modo manere liceat in cœtu piorum, & cum populo DEI quam ſummo loco & dignitate eſſe apud Impios. Utraque hujus ſæculi impietatem & faſtum exprobrat, Pietas *Davidis* qui tanto Domus DEI

desiderio ardebat, taxat nostram impietatem quibus nullum tempus æquè fastidiosum quam hoc quod divino cultui impenditur, hic videre possunt diversorum ordinum homines errorem suum. Adolescentes quamplurimi possunt tanquam in speculo insipientiam suam contemplari.

Regius Propheta prædicat, mandata *DEI* desiderabiliora auro, dulciora melle, *Psal.* 19. Et hoc *Psalmo* Domum *DEI* præcellere multis gradibus tentoria improbitatis: hic veram sapientiam: hic beatitudinem inveniri, sicut quidam Patrum præclarè. Est sapiens cui quæque res sapiunt sicut sunt, cui verò jam in se prout est sapientia ipsa sapit is non modo sapiens sed & beatus est. Quotusquisque tamen agnoscit Euangelii sapientiam? Alii post emensum cursum studiorum conferunt se ad aulam: alii student juris prudentiæ, multò maxima pars non dicam esse osores sapientiæ, *Prov. cap. 8. vers. 36.* sed hoc ausim affirmare abstrahunt se à consilio sapientiæ & correctioni ejus non acquiescunt. Domus *DEI*, imò Sacerdotium in Domo *DEI* spernitur, ~~bona omnibus ex maxima parte.~~ 1. *Prov. cap. 25.* Quid referam de his Patronolatronibus, quibus Domus *DEI* antiquitus commissa qui insistentes vestigiis *Ieroboami* infimos hominum propter exiguum quoddam lucrum præficiunt Ecclesiis?

Quid denique de ipsis Clericis, quibus Domus *DEI* vilipenditur? Tritum erat olim proverbium, Clericus in oppido piscis in arido: Clerici dicebantur extra elementum suum, cum extra Templum, aut extra Mu-

trà Musæum. At nunc gaudent in foro, gaudent in caula, gaudent in aula vivere: quod nemo existimet sic à me dictum quasi velim aulam destitutam capellanis, aut regium consilium Episcopis. Egregiè *Erasmus*, Si multos Episcopos *Ambrosio* similes haberemus, haberemus etiam plures Imperatores *Theodosium* referentes. Nemo sanæ mentis apud se cogitans, quantum hæc inferiora omnia pendeant ab his orbibus majoribus, quin æquum duxerit qui millibus præstant anteferendos in ipsis spiritualibus aliis inferioris conditionis: Ecclesia *Scoticana* in hoc genere si vsquam alia negligens & minimè solicita & verendum ne dederet pænas aliquando hujus negligentiæ.

Sed ad rem: Clerici inquam qui attendunt forum aut aulam, vel toti intenti in rem familiarem animarum salute neglecta satis demonstrant. Se non tam pio animo quam *David.* & sancti de quibus legimus tum novo tum veteri testamento. Legimus de *Mose*, *Heb. 11. vers. 24.* Renuit vocari filius *Pharaonis* Majores arbitratus divitias, probrum *CHRISTI* quam *Ægyptiorum* Thesauros, potius eligens malis affici cum populo *DEI* quam temporariis commodis peccati frui, vbi Apostolus notat *Moysen*, fide, pietate in *DEVM*, tres potentissimas tentationes superasse, Ambitionem quidem, quatenus renuit & avaritiam, majoris arbitratus & voluptatem, potius eligens, & eodem animo fuit, & Regius Propheta noster, & hoc de se profitetur cum dicit, *Melior est Dies vnus in atriis tuis, &c.* Et hæc dicta sunto de pietate *Davidis*.

Iam quod ad humilitatem, *Eligit frequentare* (*Limen Domus* D E I) & consistere in vestibulo ejusdem, Infimum imò contemptissimum gradum in Domo D E I non respuit. O quantum absunt ab humilitate *Davidis* quibus nullus gradus nisi supremus in Domo D E I arridet? Quod nemo dictum censendi de pulcherrimis Ecclesiæ luminibus in horizonte nostro doctrina, virtute, prudētia, pietate, lucentibus, non de his loquor quos sapientissimus princeps ad splendidæ dignitatis gradus in Ecclesia nuper evexit, & jam clavum tenent: sed de his qui omnes superiores indignantur & fremunt alios sibi ipsis anteponi: hi conscii suæ imbecillitatis & desperantes per merita ascendere tantum gradū contendunt tanquam pro aris & focis inducere paritatē in Ecclesiam *Christi*: & ad hoc cædem faciunt Scripturarum in rem suam: (vt *Chrysost.*) & traducunt verba illa Domini, *Matth. 20. 25.* Non erit inter vos, sicut inter Gentes scitis quod principes Gentium dominentur illis, & magnates eorum exercent potestatem in eas. *Anabaptistæ* contendunt ex hoc loco æqualitatem stabiliendam inter omnes Christianos, & condemnant omnem authoritatem & exercitium Magistratus tanquam Ethnicam dominationem: nostri qui stetere pro disciplina illa *Neoterica* tollebant omnem distinctionem graduum in Ecclesia.

Sed quantum absint verba D O M I N I à tali sensu facilè est videre: Apostoli vt ex ipso loco patet somniantes Messiam erecturum thronum *Hierosolymis* & regnaturum inibi in omnes reges terræ, Duo ex eorum numero rogārunt Dominum, vt alter sederet illi à

illi à dextris, alter à siniſtris, reliqui audita hac petitione ſtomachabantur: *DOMINVS* ergò vt mederetur huic malo docuit Diſcipulos ne ſeſe metipſos decipere regnum ejus non eſſe mundanũ, ſicut illi ſomniarunt & ambitioſam hanc contentionem, melius decere Ethnicos quam ſuos diſcipulos. Quis tam ſimplex aut ſtolidus potius qui ex his inferat magiſtratus abolendos, & omnes gradus tàm in Eccleſia, quàm in Schola tollendos, & ſic omnem ordinem invertendum? Vere ſimile eſt quæſo, *DOMINVM* Domum ſuam tanquam corpus informe & indigeſtum chaos relicturum abſit cogitemus: abſit dicamus: Eccleſia *CHRISTI* eſt inſtar reipub. benè inſtitutæ: non ſapientiæ ſolum, ſed & ordinis domus.

Quid autem ordo niſi recta æqualium & inæqualium diſpoſitio: Qui ergò omnimodam æqualitatem (vt ſic loquar) inter Eccleſiaſticos vrgent, & omnia paria clamitant quicquid præ ſe ferunt ordinem quem *DEVS* ordinis rectè diſpoſuit, & Eccleſia omnibus ſæculis retinuit hunc invertere & evertere illis in animo eſt. In veteri Teſtamento ſatis liquet Eccleſiaſticos æqualis ordinis non fuiſſe: Erant ſuperiores & inferiores inter Sacerdotes & Levitas: In novo diſtingui oſtendunt 12. Apoſtoli, & 70. Diſcipuli: Ex *ECCLESIASTICA* Hiſtoria ſatis patet *ECCLESIAM* toto orbe Chriſtiano ſic adminiſtratam, vſque quo quidam hoc ſęculo ſpecie contemnendi honoris perturbarunt totum Eccleſiæ veteris ordinem: Sed ſicut in proditoris *IVDÆ* cura pro pauperibus regnavit avaritia, & in profuſione

mulieris, quæ profudit vnguentum nardum erat tamen frugalitas.

Sic ſub tritis veſtibus poteſt latere ſuperbia: & in throno regis & ſub mytra Epiſcopi poteſt inveniri vera humilitas. Prædixerat manſuetus ille MELANCTON ſtatum Eccleſiæ qualis futurus eſſet diſſoluta ſemel antiqua politia Eccleſiaſtica: & ipſe memor ſum me tale quiddam audiviſſe ab ore reverendi patris mei patris certum Eccleſia *Scoticana*: Video, video, inquit MELANCTON, multò intollerabiliorem tyrannidem ſequuturam, quam vnquam antea fuerat. Vidimus hoc noſtro tempore completum. Sed Gratia *DEO* & ſua laus IACOBO Magno Defenſori Antiquæ Fidei, nos tandem reverſi ſumus vnde deceſſimus, καὶ νυν μετ-ωμεν ὅπερ ἐσμεν ſi ſapimus.

Et hæc ſufficiant pro pietate & humilitate *Davidis*, *Qui eligit frequentare limen domus DEI, magis quam habitare in tentoriis improbitatis.* Opponit autem tabernacula impietatis, ſiue tentoria impiorum Domui *DEI* quia contraria contrariis oppoſita maximè eluceſcunt. Hac collatione ſtatus piorum, qui in Domo DEI manent melius percipietur. Quid quæſo videre eſt in tentoriis improbitatis præter ignorantiam, incredulitatem, luxum in conviviis & veſtibus, ebrietatem, invidiam, obtrectationem, ambitionem, avaritiam, iram, diſcordiam? Sicut quidam rectè dixerit, Impios plus laboris inſumere, & magis ſe fatigare diſcendendo in infernum quam pios ſcandendo Cœlum: percurrite rus, oppida, civitates, forum, Academiam, aulam, ſtultorum plena ſunt omnia, ait unus,

Ergo

Ergò impietatis plena ſunt omnia: Quid quæſo videre eſt ruri præter ignorantiam DEI, lites & diſſidia inter æquales: Potentes opprimentes inferiores & comedentes populum DEI ſicut panem? In oppidis & civitatibus regnant fraudes, circumventiones, vſuræ: hic mercatores plus lucrifaciunt, ait quidam, mentiendo, quam vel emendo vel vendendo: In foro Iuſtitia plerumque non datur niſi vendatur: Iuridici, litigatores, quod quidam de aleatoribus quanto doctiores in arte, tanto nequiores in vita imò funeſtiores in repub. In Academia ipſa (proh dolor) ſeminario Eccleſiæ & reipub. videre licet plurimos voluptatibus mancipatos. Ex hac parentes ſperant filios emerſuros, excultos ſcientia, probitate, præſtantes, verè ſapientes, qui divinæ ſapientiæ ſale conditi inſulſos temperent, cæcis in caligine lucem adferant, & ſint duces errantibus: ſed omnia contra: quam multi hic carpunt fructum Arboris ſcientiæ boni & mali? Quot parum aut nihil proficientes in literis & virtutibus, exeunt Academia onuſti vitiis, & infecti omnis generis impietate: At fortè in aulis principum inveniendi quos beatiores cæteris dixeris: Sed hic eſt ipſa ſentina malorum, O quot in aula ſuperbos, ingratos, ignavos, mendaces, aſſentatores, blaſphemos, molles, epicureos, videre licet?

Hic ſicut Reges à DEO vocantur Dii (nuncupativè vt *Gregor.* non eſſentialiter) Sic decet aulas regum aſſimilare cœlum & aulicos vivere inſtar Sanctorum & Angelorum: Domum tuam decet Sanctitudo (inquit Propheta) Et quis hæc non exſpectaret

vbi ſereniſſimus Rex ipſe Sanctus, Sapiens, verè Religioſus: Sed neſcio quis *Dæmon* poſſideat hos qui gratia valent apud principes: Sæpè hos propius ſpectavi, & ſemper vidi ſic voluptatibus merſos vt nunquam ſibi nedum *DEO* vacare voluerint. O, vtinam nunquam vidiſſem impietatem, nunquam expertus eſſem vanitatem aulæ, & ſic conſumpſiſſem optimam ætatis partem prætioſiſſimum & irreparabile tempus.

Optime venerabilis *Beza*, aula omnis ſceleris mater, nutrixque nefandi. BERNARDVS ſuo tempore conquæſtus eſt plures in aula defeciſſe bonos quam profeciſſe malos: Hic quo quis corruptior moribus & corrumpentior muneribus eo beatior, inquit *Sarisburienſis*. Pulchrè *Seneca*, malo mihi male eſſe quam molliter, at horum æffeminatorum & delicatulorum ſummum bonum dormire ad jentaculum, pectere ad prandium, ludere ad cœnam, bibere ad mediam noctem, & mæchari vſque ad mane: φιλανδροι μαλλον ἢ φιλοθεοι, aleatores, ſaltatores, indulgentes gulæ, vorantes ſanguinem uvæ, induti auro & ſerico, ſed honorata magis quam honeſta veſtimenta: ſub deauratis etenim & ſericeis veſtibus ſæpè conduntur tumores putridi humores & talia merita, & juſta præmia fœde libidinis, adde quod aulicisint ſimiles abacorum calculis ad nutum principis, nunc beati, nunc miſeri: Sic vt qui aulam adeunt ſunt ſimiles illis, qui ludum aleæ imò potius iis qui prælium adeunt quorum planè incertus eſt exitus: Videtis ergò aulam occultare lethale venenum imò hic præcipuum theatrum Spiri-

tuum

tuum impiorum ad omne malum inſtigantium: Vt paucis dicam. Mundus totus in maligno poſitus eſt, *1. Epiſt. Ioann. cap. 5. verſ. 19.* Inter cœcos mortales omnia libidine metiuntur præpoſteris judiciis officia & beneficia conceduntur, improbi coluntur, boni affliguntur, virtutes jacent, luxuria dominatur, doctrina contemnitur; inſoleſcit nequitia, ſtudiis præſtãtiſſimis ipſius Theologiæ merces iniquiſſima reptenditur, denique in Tabernaculis impiorum, in tentoriis improbitatis Satanas vſque præſidet, & nuſquam nocentior quam cum ſe transfigurat in Angelum lucis.

At omnia contra in Domo *DEI*: hic regnat cœleſtis veritas, exuberat pax exſuperans omnem ſenſum, fervet charitas fuci neſcia, triumphat fides invicta: In Domo *DEI* uno ore unaque anima canuntur laudes *DEI*: Is cui datum eſt Donum Prophetiæ ſincerè diſpenſat verbum *DEI*, populus Religioſa attentione auſcultat: Interea videre eſt præſentem Spiritus ἐνεργειαν, & in prædicatore, & in auditoribus: accedentibus enim ad Domum *DEI* parata eſt miſericordia *DOMINI* quæ ſublevet infirmitatem hominum, vt proficiant ad perfectiora, parata eſt veritas *DOMINI*, vt abundent omni ſcientia ſpirituali: Parata eſt gratia *DOMINI* ditans nos ſpiritualibus chariſmatibus: poſtremò parata eſt gloria *DOMINI*, quæ nos transformet in imaginem *CHRISTI*. Adde huc quod ſpiritualis oculus videt præterea *CHRISTVM* ipſum in medio ſuorum reſidentem; ac benedicentem cœtui

ſuo, quemadmodum ipſe pollicitus eſt in EVANGELIO, (MATTH. CHAP. XVIII. VERS. XX.) Ubicunque ſunt duo aut tres Congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum: Videt etiam Angelos protectores, ac miniſtros Sanctæ Congregationis magna frequentia ſummaque reverentiâ in Domo *DEI* verſantes.

Sed hæc forſitan magis pertinent ad collationem perſonarum: Diximus de collatione temporum & locorum, jam non licebit per tempus quod reliquum eſt fuſius explicare, non tamen prætermittendum quod Propheta alloquens *DOMINVM*, Dicit, *Melior eſt Dies in Atriis tuis*: Et ſubjungit, *Eligo frequentare limen Domus DEI mei.* Atria dicuntur *DOMINI*, & ECCLESIA *DEI* Domus: Quicquid enim in ECCLESIA virtutis, roboris, aut fœlicitatis eſt *DOMINI* eſt non hominum: Ille gratis ſibi redemit ECCLESIAM: Ille gubernat, Ille tuetur adverſus omnes procellas, & profitetur eos qui ECCLESIÆ reſiſtunt nõ rebellare hominibus, ſed ſibi ipſi, Hoc apertè loquitur *DOMINVS*, ZACH. CAP. 2. VERS. 8. qui tetigerit SION tanget pupillam oculi mei. PAVLVS, ACT. 9. audit, *SAVLE, SAVLE, quid me perſequeris?* Rurſus quemadmodum in Euangelio, *Matth. cap. 25.* Agnoſcit ſibi præſtitum, quicquid beneficii collatum fuerit, vel infimum Chriſtianum, ita quicquid malorum ingeritur in ECCLESIAM Catholicam ſibi ingeſtum eſſe deputat.

Talem præſidem, & propugnatorem habet EC-

CLE-

CLESIA, ſed idem *DEVS* qui protector ECCLESIÆ ſuæ, idem improbis denunciavit bellum: Nulla eſt pax impiis dicit IEHOVAH, *Iſai. cap. 57. verſ. 21.* Nec pax conſcientiæ, nec pax æternitatis, ſicut *Hugo* in locum. Cognatum imò innatum (ait SCRIPTOR noſtri temporis) omni ſceleri ſceleris ſupplicium: Stipendium peccati eſt mors, *Rom. cap. 6. verſ. 23.* Quemadmodum lapides agri ſunt in fœdere cum juſtis & beſtiæ agri ſunt pacatæ illis, *Iob. cap. 5. verſ. 23.* Poſſunt ſecurè in deſerto habitare, & dormire in ſylvis, *Ezech. cap. 34. verſ. 25.* Sic è contra lapides & ligna domus exurgent contra impios, & conſumentur propter impietatem, vt *Zach. cap. 5. verſ. 4.*

Unumſolummodo jam reſtat conſiderandum in verſu vndecimo, quod non ſilentio prætereundum: *David* vocat *DEVM*, *DEVM* ſuum: Vtitur hoc nomine poſſeſſiuo quod ſignificat rei appropriationem, per quod exprimit cum fidem ſuam in Deum, tum amorem *DEI*: *Dauid* ſæpius vtitur hac phraſe in Pſalmis, *DEVS meus es tu, tu es Rex meus, & DEVS meus*: Sic legimus IOANN. CHAP. 20. VERS. 29. *Thomam* Apoſtolum cum vidiſſet manus & latera Domini eructauit hæc verba, ὁ κύριός μου, καὶ ὁ θεός μου: Et ſic quilibet ſanctorum omnes domeſtici Dei non dubitant vocare Deum, Deum ſuum, & inuocare eum, Deus meus: Deus meus, qui me creaſti dum non eſſem, recreaſti cum eſſe deſiiſſem, redemiſti cum periiſſem, erexiſti cum cecidiſſem, te meum feciſti cum tuus eſſem: te mihi dediſti cum pauper eſſem Talibus

priuilegiis & prerogatiuis fruuntur domeſtici DEI qui viuunt in domo DEI.

Omnibus his conſideratis quis non videat ſplendorem Domus DEI, & videns non exclamet cum *Davide*, Quam amabilia Tabernacula tua IEHOVAH exercituum? Ipſe *Balaam* cum conſpiceret Tabernacula *Iſraelitica*, *Num. cap. 24.* Effudit hæc verba quam pulchra Tabernacula tua, O *Iaakob*, & tentoria tua, O *Iſrael*? Quanto magis à nobis qui videmus tantum eſſe diſcriminis inter Domum *DEI*, & tentoria improbitatis, quantum inter lucem & tenebras, quantum inter vitam & mortem, quantum inter beatitudinem & damnationem. Dicendum ergò à nobis ſincero pectore, *Melior eſt dies vnus in Atriis tuis quam mille, &c.* Quis non eligeret habitare in Domo *DEI*, vbi gaudium, pax & vita tandem æterna, quam viuere cum improbis, quorum vita eſt mors, in quorum riſu dolet animus, *Prou. cap. 14. verſ. 13.* Et tandem lætitia fit mœror. Et hæc dicta ſunto de primo argumento à jucundo, & ſufficiant pro verſu vndecimo.

Iam quod ad verſum duodecimum, & argumẽtum ab vtili, neceſſe eſt percurramus hoc in argumentum, forte ſi prolixiores ſimus videamur abuti patientia veſtra: Ego leuiter attingam quæ ſequuntur: vos interea Reuerendiſſimi præſ. & viri doctiſſimi pro veſtra humanitate confirmate perorantem. Sequitur, *Quia Sol & clypeus IEHOVAH, &c.* Hic enumerantur commoda quæ manent pios. Argumentum à commodo, argumentum eſt magni ponderis, Capiuntur munere

munere diui (inquit Poeta.) Propheta ergò ſubdit Deum eſſe Solem & Scutum hominibus, & primo ait eſſe Solem. Sat ſcimus quam pulcher, quam ſplendidus, quam vtilis ſit Sol: quod ſpectaculum jucundius eſſe poteſt quam præclarum illud jubar intueri? quid ſplendidius quam Sol cum poſt longas horrore pleniſſimas tenebras noctis quas tot millia ſtellarum diſſipare non poterant, Sol ſuper horizontem noſtrum apparens omnia ſua luce perfundit? Quid porrò eſſet vita noſtra ſine Sole? Cum ipſe non lucem ſolum & calorem tam liberaliter largiatur, ſed ſit quaſi communis quidem parens omnium viuentium, ſine quo nec arua fruges, nec prata flores, nec uvas vineæ, nec arbores poma, nec animantia vitam haberent: Magna igitur & præclara res eſt Sol: Sed longè major & ſplendidior ille Sol qui fecit hunc Solem, Sol juſtitiæ *Mal. cap. 4. verſ. 2.* ſplendor gloriæ, verbum patris, Lux hominum, decus Angelorum: Corporeum illum ſolem belluæ etiam cernere poſſunt, at noſtrum ſolem ſola munda corda conſpiciunt. Hic eſt qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *Ioann. cap. 1. verſ. 9.* hic ſua luce tenebras mentis, calore ſuo glacialem duritiem cordis diſcutit, facit vt *D*eum rectè agnoſcamus, & ex ejus præſentia lætitiam concipiamus, & ſic vitam æternam habeamus: Hunc ſolem non aſpiciunt impii, ideò manent in perpetuis tenebris, at tandem opprimentur æternis horroribus. Sed pergimus & properamus ad finem: jam enim tempus eſt, vt vela retrahamus: Non ſolum nominatur *D*eus *Sol*, ſed & *Clypeus*, hoc eſt protector &

defensor Ecclesiæ suæ, innuens hoc vocabulo vitam & salutem piorum innumeris hostium telis & ictibus subjectam, nec posse nos hæc tela nostra industria, aut viribus declinare, nisi Christus assiduè Clypeum suum objiciens tela excipiat nosque tutos ab ictibus præstet. Impii carent hac defensione, manent etiam perpetuò vasa iræ & indignationis divinæ. Sed domesticis suis IEHOVAH dat gratiam & gloriam, hoc est gratuito favore complectitur fideles, adoptat in filios, nec tantum gratia ornat Ecclesiam suam in hac vita, sed post hanc vitam donabit omnia membra Ecclesiæ æterna gloria: imò in hac vita non substrahet bonum aliquod ab ambulantibus in integritate, ad pietatem pertinent omnia promissa *D*ei hujus & futuræ vitæ: simpliciter ambulantibus non deerit neque misericordia, neque veritas, neque gratia, nec vllum bonorum genus quod ad beatitudinem pertinet. Videtis quantum bonum & quantum emolumentum (vt inquit Apostolus) est pietas, *1. Epist. ad Timoth. cap. 6. vers. 6.*

Quisquis igitur velit affluere omni bonorum genere, quisquis velit tutus esse ab omni malo, quisquis cupit illuminari, & viuificari à sole justitiæ: Quisquis cupit DEUM, DEUM suum, quisquis legere flores gaudiorum in hac vita, & fructum in vita futura, denique quisquis cupit hæc duo cõjungere cum jucundum, tum vtile, & vtroque frui: fugiat hypocrisin: ambulet cum DEO in integritate, exuat se φιλαυτια, fugiat pervicatiam, & cæcum odium, deponat superbiam, frequentet limen *D*omus DEI, & sicut *Eccles.*

cap.

cap. 4. verſ. 13. obſervet pedem vtrumque dum adit domum *Dei.*

Vos adoleſcentes ex quorum numero non diffido quam plurimos ſuo tempore cum Eccl. tum Reipub. loco magiſtratuum eſſe præfuturos, ruminate quæſo quæ jam audiſtis: Sat ſcio vos ſæpius audiſſe literas eſſe in proſperis ornamentum, in adverſis refugium, ſic *Ariſtot. laert. 5.* Bona animi hæc verè eſſe noſtra bona (vt *Ariſtippus*) quæ cum ipſo naufragio poſſunt enatare. Sitis hujus etiam memores eos nihil ſcire qui Chriſtum neſciunt. Concutite ergò prophana, cœleſtia ſapite, pietatem colite, qua cum animi tranquillitas tum beata æternitas comparatur.

Recordamini etiam ſicut Muſas antiqui dixerunt habitare in arduo & edito colle, & ſicut propertius, non lata via dari ad Muſas currere, Sic arctam & anguſtam viam ducere ad vitam *5. Matth.* Violentos rapere regnum Cœlorum. Et ſicut *Divus Paulus* non deſidentes, ſed currentes coronari. Excutite ergò torporem & ne patiamini auream avolare occaſionem. Adjicite fidei veſtræ virtutem, virtuti pietatem & ſic ſtudete vocationem & electionem veſtram firmam efficere. *2. Pet. 1. 1. 10.*

Vos PATRES & FRATRES in CHRISTO colendi, quibus commiſſa eſt cura ACADEMIÆ date veniam etiam vos paucis compellare. Audiſtis ſæpius ſat ſcio Mæcenatem Auguſtum monuiſſe: vt iis erudienda inventus traderetur qui imperium *Romanum* impenſè adamarent: Sic vos cogitate non ſolum doctrinæ rationem, ſed ſalutem regni ac regis

& ſecuritatem Eccleſiæ poſtulare, vt juventutis informatio illorum fidei permittatur, qui ipſi in Regem & Eccleſiam fideles ſint.

Academiam hanc ipſa antiquitate commendabilem, regni Decus, reuocate ad ſuam dignitatem : nec vobis ſatis eſſe ducite, ſi vivat, niſi etiam ſplendidè vivat : excitate ergò omnis ſortis homines ad opera charitatis, date operam vt non ſolum non diminuantur reditus Academiæ, ſed etiam vt augeantur & indies capiant incrementum. Habemus Regem *Platonicum*, *Titum* noſtri temporis, typum liberalitatis, ne ſinite oblatam & tam raram occaſionem aufugere.

Vos item viri Doctiſſimi, qui in erudienda & inſtituenda juventute toti eſtis recordamini illud *Marci Aurelii* optimi & ſapientiſſimi Imperatoris, nempè menſis vnius virtutis exempla pluſquam totius anni præcepta conferre.

Sic ergo ſplendeat lux veſtra coram diſcipulis veſtris, vt illi etiam videre poſſint viam ad veram lucem: hanc docete non eſſe nugas, aut ineptias, non fori ſtudia, non vulgi commercia, ſed amorem veritatis, & antè omnia ſtudium pietatis : Inculcate ergò hanc eandem ſententiam, *Melior eſt dies vnus in domo Dei, quam mille alibi.*

Denique in hoc omnes toto pectore nitamur, vt habitemus & reſideamus in domo Dei: incũbamus omnes in hoc vt ædificemur in vnã domũ, & coaleſcamus in vnũ myſticũ corpus feſtinemus ad extinguẽdũ incendium domus Dei; faceſſant à nobis de rebus minutulis lites omnes, quibus nimio plus jam diu aſſuevimus.

mus. Quiſquis ſe diſcutiat, & omnes ad CHRISTUM confugiamus: omnes iram Domini provocauimus, reſtat vt omnes ad illum ſincero corde conuertamur. Ille vt eſt exorabilis viciſſim conuertetur ad nos, atque confuſum ſtatum hujus ECCLESIÆ miſeræ & deſtitutæ ſuo tempore reſtituet: Vobis eodem pro veſtra quantulacunque portione annitentibus: Hoc faxit, Miſereatur ECCLESIÆ ſuæ DEUS, confirmet nos Sacro Sancto Spiritu, ad omne opus bonum, & faciat vt quemadmodum cunctis in Domo ſua verſantibus, una Lux eſt, unum Baptiſma, una Spes, unus Spiritus: ita ſit & vox una CATHOLICAM Veritatem profitentium, vt vniuerſus ECCLESIÆ ſuæ Chorus concordibus animis, & conſonantibus vocibus laudet eum in æternum, Qui viuit & regnat per omnia ſæcula. Sit illi Honor, Gloria, & Dominium, in ſæcula ſæculorum:

AMEN.

Beati qui audiunt verbum DEI, & cuſtodiunt illud.

Miſericordia & dilectio Dei Patris, Gratia & Pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum dulciſsima conſolatione Sancti Spiritus ſint cum omnibus vobis : tueantur nos omnes, & benedicant nobis nunc & in ſæcula:

AMEN.

FINIS.

Σφαλματα *Typographica Lector benevolus emendet.*

PAGINA 21. LINEA 4. *lege* Separanda. LIN. 22. *pro* desolatísne, *leg.* despicitísne. *Et lin.* 23. ratiocinati.

Pag. 24. lin. 11. lege Tzalmunahhum.

Pag. 26. lin. 21. pro (bona omnibus) *leg.* & contemnitur.

Pag. 27. circa finem, leg. ambitionem quidem, quatenus renuit, &c. auaritiam, majores arbitratus, &c. *&* voluptatem, potius eligens, &c.

Pag. 28. lin. 6. pro censendi, *leg.* censeat.

Pag. 30. lin. 1. leg. nardum, *pro* nondum. *Vbi & lin. 3.* perperam sejungitur à secunda. *Et lin. 9. pro* certùm, *leg* patris certè in Eccl. &c.